Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2545
Quelle:
Copyright:

Lectionis varietatem non deesse, facile arbitrabere.

DCLXXI.

311 Codex chartaceus germ. Sec. XV. Foliorum 196. f. per duas columnas sat bene exaratus, rubricis distinctus, et praevia in membrana Pictura Autorem ad populum verba facientem exhibente ornatus ita minio inscribitur: *In namen gotes amen Incipit prologus der sum Johannis des decretz amen.* Autor hujus Operis latine inscripti *Summa Confessorum* est *Johannes de Friburgo* O. P. Lectoris officio diu in Conventu patriae urbis functus, unde, ut in *Scriptt. O. P. T.* I. p. 523. dicitur, Lectoris agnomen *affectavit*, si quis tamen muneris sui nomen *affectare* possit. Obiit Vir hic praesenti Opere de aevo suo rudi bene meritus a. 1314. Opus ipsum plurimis exemplis per bibliothecas diffusum, et fortasse vivo etiamnum Autore in linguam Teutonicam συντομως traductum est a *Bertholdo* ejusd. Ord. Lectore *Norimbergensi*; non enim est, cur *Bertholdum Teutonem* in *Scriptt. O. P. T.* I. p. 431. a *Bertholdo Teutone* T. I. p. 722. distinguamus, cujus notitiam e *Lambecii L.* II. p. 814. atque adeo e *Cod.* praesenti hausere *Quetifus* et *Echardus*. Atque, ut emendemus et suppleamus ea, quae Viri hi solertes, sed a sodalibus suis *Germanis* parum adjuti in desideratis reliquere, notet Lector, *Summam*, quam illi ab aliis decepti, ut primam *Summae Johannis* editionem, *Reutlingae per Job. Otmar 1487.* f. adferunt, non esse *Summam Johannis* sed *Summam* dictam *Rudium*, in cujus Prologo legitur: *Est etiam quidam liber qui vocatur summa Johannis Friburgenss. maior Uel summa confessorum compilata per Reuerendum lectorem conuentus Friburgenss. in brisgaudio ordinis supradicti tante auctoritatis quod dominus papa Johannes XXIX.* (l. XXII.) *qui fuit subtilis indagator iuris cum memoratam summam perlegeret dixit fratrem qui istam summam collegit reputo vnam esse de melioribus personis totius ecclesie.* Subdit autor Prologi: *a qua etiam multa recepi.* Deinde, latuisse Bibliographos illos omnino seriem genuinarum *Summae* nostrae editionum, quam hic e penu mea depromo: Anno 1472. Augustae *per Job. Bämler.* germ. f. 1476. ibid. typo *Güntb. Zainer.* lat. f. 1478. ibid. *per Job. Bämler.* germ. f. 1480. ibid. *per Ant. Sorg.* germ. f. 1482. ibid. *per Eund.* germ. f. 1489. ibid *per Job. Schönsperger.* germ. f. 1491. *Magdeburgi* dialecto Germ. inferior. f. 1495. Augustae *per Job. Schönsperger.* germ. f. 1498. Norimbergae per *Ant. Koburger.* lat. f. Et eod. anno Magdeburgi *per Maurit. Brandis* dialecto Germ. infer. f. Addo optimum *Maittairium* linguae germanicae ignarum *primam* harum Editionum *Johanni Nach* inscripsisse, quod in Titulo Indicis praemissi